

I 2 W

1 6 0 5

✓ 00/19.

ms. No. 396.

Gesner, Jul. (3^{te} disputaciones)

—(46) Hoe, M.

K. IV. 31.

Rupertus Niesing accepit
Jacobo Tappia.

comptur 1.13.7



AUSPICE DEO OPT. MAX.

PRO SECUNDA
PARTE EXAMINIS CON-
CILII TRIDENTINI REVEREN-
DI ET CLARISSIMI VIRI, DN. D.
MARTINI CHEMNITII
DISPUTATIO DECIMA NONA.

Duûm capitum

- I. *Geruina salutis media, prasidiaq; contra dia-
bolum morituris eadem esse, qua viventibus
eaq; sufficere demonstratur.*
- II. *Pontificia unctio extrema, ut humanum in-
uentum, rejicitur.*

ad ουζήτησις

Praside

SALOMONE GESNERO,

S S. Theol. D. & Profess. in Academia Witeb.

Publ. ad diem 2. Martij in Templo Ar-
cis Electoralis,

proposita à

M. LAURENTIO LAURENTII Gotho.

W I T E B E R G Æ

Typis Meisnerianis, Anno 1603.





REVERENDIS, DO-
TRINA ET PIETATE OMNI-
VMQ; VIRTUTVM GENERE CLA-
rissimis VIRIS

Dn. M. PETRO BENEDICTI
diœcesis Lincopensis Episcopo dignissimo

ET

Dn. M. IACOBO ERICI *Stochol-*
mensi.

Dn. M. LAVRENTIO PAVLI-
NO *Gotho S. S. Theol. in Inçlyta Vpsali-*
ensi Academiâ Professorib. meritissimis

NEC NON

Dn. M. IOHANNI CANVTI
Ecclesia Lincopensis Pastori vigilantissimo.

Dn. M. IONÆ KYLANDRO
Lincopensis Scholæ rectori fidelissimo.

Dominis, Præceptoribus, promotoribus & amicis
meis plurimum colendis

Pietatis & gratitudinis ergo exhibeo
& dedico.

M. Laurentius Laurentij Gothus.

CAPUT I.

751.

I.



*I*n satiabili ira contra nos, qui Christo nomen dedi-
mus, fremit diabolus, & quidem in toto exilij hu-
jus curricula occupatissimos nos circumit, omnem
lapidem movens, quò animabus nostris aeternam
creet perniciem & (dicente Apostolo) instar rugientis leonis
quærens quem devoret.

Media Sa-
lutis mori-
turis ea-
dem esse,
quæ vi-
ventibus
eaq; suffi-
cere pro-
batur.

II.

Verùm cum in extremo vite articulo nos defuncturos,
& per Christum jam brabeum accepturos deprahendit, inge-
minato studio, manibus pedibusq; obnititur, omnem omnino
aleam jactat, tentationibusq; solito gravioribus, velut trisulcis,
acutiss. venenatis, & plusquam fulmineis telis impetit, parricid-
torum peccatorum terribile barathrum pandit, periculosissi-
masq; cogitationes suggerit, ut nos de fidei asylo deiciat,
eternumq; perdat.

III.

In necessitate ergo summa est, ut obnixè quæramus, unde
nobis arma & tela suppetant, quibus hostis ille tam potens cedi
& prosterni possit. Mens luctans & fluctuans traditione huma-
nâ acquiescere nec potest nec debet: tutissimū illi est per spiri-
tum S. in veram Dei panopliam, quæ verbum est scriptum,
deduci. In veris istis Paroxysmis & doloribus ferè infernali-
bus, non nisi è caelesti animarum Myrothecio, quod Evange-
lium est, juvat quærere. Qui enim id audit & meditatur, me-
diante fide, (quæ ex eo nascitur, Rom. 10. 17.) à morte in vi-
tam transibit Ioan. 5. 2. 4. Et 6. 51. & 8. 32.

IV.

Verum, sufficiens & unicum, uniceq; carum illud medica-
mentum, quod per verbum Evangelij nobis offertur & com-
municatur, est IESVS CHRISTUS, vita & salus nostra.
Is præsto est, & per fidem non tantum accipitur, sed habitat in
cordibus nostris, Eph. 3. 17. Is in concertatione hac nobis se fi-
delem ducem & opitulatorem impertiturū promisit fidiissimū,
quò feliciter omnia conficiamus & victores honoris immorta-
lis

A 2

lis adorem reportemus. Is dat victoriam, contra mortem & stimulos eius, 1. Cor. 15. Is deniq; ipsa salutis via est. Ioan. 14.

V.

Cum igitur tanti promachi nostri merito & opera suffulciamur, tanti victoris victoriâ animemur, cumq; ipse Christus, nobis gratia thronus sit, ad eum accedentes, angustijs hisce, talibusq; sevisimi hostis invasionibus μετὰ παρρησίας clypeum flagrantissimarum supplicationum obvertamus, & cum filijs Chore ex Psal. 88. ingemiscamus, quod vita nostra inferno appropinquavit, & estimati simus cum descendentibus in lacum, Orantes, ut Oratio nostra in conspectum Domini Dei salutis nostræ intret, & ut misericordiam consequamur in auxilium opportunum. Heb. 4. 16. Sic enim nos instruit Spiritus S. & ad iter hoc difficilimum comparatos reddit, Psal. 89. 90. 91. & ceteris usq; ad 100. ut patienter ferre, fortiterq; tandem per Christum vincere queamus.

VI.

Verbum præterea Evangelij non tantum in simplici & nuda promissione consistit, verum etiam in Sacramentis illis, quibus voce & institutione divina annexa est promissio gratiæ, ut per illa singulis applicetur & obsignetur. Hæc sunt tamquam verbum visibile, præbetq; nobis Deus in his sensibilibus intelligibilia, ut ait Chrysostomus. Sic accepit Abraham signum circumcisionis signaculum justitiæ fidei; Sic nobis Baptismus est bonæ conscientiæ ἡμετέρας seu pactum; Sic in Cæna Domini- ca sub pane & vino corpus & sanguinem Domini accipimus, ut certi siamus, nos cum Christo uniri, ejusq; merita nostra esse.

VII.

Hæc sunt certissima præsidia, præsentissimaq; media conferentia nobis Christi beneficia, à fidei animarum nostrarum medico ipso Christo ad id ordinata, ideoz in quovis die malo, adeoq; in ipso mortis momento sufficientia. Hinc potissimum in luctu mortis, de semel suscepto baptismo (quia per ipsum salvi facti sumus Tim. 3. 5.) contra omnes portas inferorum, non aliter, quam de circumcisione Psaltes in monomachiam

753.
machiam contra Philisteam Gigantem descensus, trium-
phemus.

VIII.

Vberrima etiam consolationis momentum est, ut (postquam de peccato & ira Dei admoniti sumus, verbo promissionis refecti, voce Evangelij à peccatis absoluti, & suscipimus iam pro salute nostra precibus) etiam corpore & sanguine Dominico utamur. Nam hoc modo, juxta scripturae traditionem frequenter confirmanda & obsignanda fides, promissioq; Dei nobis applicanda; hæc corroboratio & obsignatio fidei, & promissionis Dei ad nos applicatio, potissimum usu-venit, in maximo isto discrimine; modus proinde hic per negligentiam minime intermittendus; intermissus tamen ex necessitate, plenariam eius vicem, eius in fide desiderium, sustinet, & rectè August: Crede & manducasti.

IX.

Sanctus hic mos ab usq; præcis & sinceris Ecclesie temporibus ad nostra pervenit; consuevit tunc Dominica cana, dulcissimo nomine ἐφῶδιον appellari, quia, qui illa, tanquam optimo viatico, instructi sunt, tutissime per medios hostes, per tela, per ignes, ex hoc exilio ad caelestem patriam commigrare possint. Quocirca Synodus Nicæna, Anno Christiano 327, celebrata, Con. 12. Ex antiqua legis regula decernere se affirmat, non esse defraudandos, hoc necessario viatico, quæ ex corpore recessuri sunt.

X.

Sanctam Eucharistiam pro exeuntium Sacramento ab Ignatio etiam comprobata fuisse, eius de ea docet sententia, cum illam φάρμακον ἀθανασίας, ἀντίδοτον τῆ μη ἀποθανεῖν, ἀλλὰ ζῆν ἐν θεῷ διὰ ἰκαστῶ χριστῶ καθαρῶτερον ἀλεξικακον appellat. Nec non Iustino Martyri, quæ cibum hunc Eucharisticum à nobis non mutari, sed illum nostram naturam in suam, id est in immortalitatem, vitam & gloriam mutare asserit.

XI.

Habet ergo fides in verbo & sano Sacramentorum usu satis presidij & fulcimenti, possunt per ea homines confortari in Domino. Induunt enim ita panopliam DEI, ut possint consistere adversus insidias diaboli & resistere in die malo, &



omnibus perfectis stare. Eph. 6. v. 11. & 13. Nusquam scripturarum, nusquam Gentium Christianarum compertum est, morituros, ad aliud verbum, ad aliam fidem, ad alia Sacramenta, renissos vel remittendos esse. Imò si filius DEI, (qui quos diligit, ad finem usque diligit. Iob. 13. 1.) præter hæc Sacramenta peculiare quoddam morituris necessarium esse iudicasset, certè expresso mandato, addita peculiari promissione, illud omnibus fidelibus, usque ad finem seculi, in hora mortis administrandum instituisset.

Refutatur
Sententia
pontificiorum de
unctiōe
extremâ.

CAPUT II.

XII.

Quoniam verò scriptura & sincerior etas huiusmodi Sacramentum ignorat; concludimus falsum esse, quod docent Pontificij, alia viventibus, morituris alia esse proponenda Sacramenta, & à *μὴ ἀποθνήσκῃ* Sathana, quò nos à veris salutis medijs, ad adulterina seduceret, profectum. Est sanè in horrenda *ἰσαγγελία* antichristiane errorum panegyri, hic non postremus. Suo enim hoc dogmate Cacus ille Romanus in perdendis animabus diabolo organon est præcipuum. Quamobrem illud de extrema unctiōe figmentum, aduti Sacri flaminis per scripturam docentis ope, in fumos resolvemus. Quod quò fiat certius & manifestius, pontificiam descriptionem præmittemus.

XIII.

Est ergo illis extrema unctiō Sacramentum propriè sic dictum Novi Testamenti, in quo per oleum contra insidias diaboli confirmantur morituri.

XIV.

Institutum illud esse à Christo, & à Iacobo Apostolo promulgatum, Tridentinum Concilium pro autoritate obtinere contendit, negantesq; anathemate ferire non veretur.

XV.

Pro confirmatione allegant Pontificij scriptura locos Marc. 6. 12. Iacob. 5. 14. De priori omnes non consentiunt: Scholastici institutionem illam in Evangelistis non extare fatentur. Ecceius censet absurdum non esse Iacobum hoc sacramentum instituisse.

755.
tuisse. Patres Tridentini apud Marcum illud tantum insinua-
tum, à Iacobo autem commendatum, docent. Bellarminus verò
præfiguratum scribit. Sic enim lib. de extrema unct. fol. 3. lo-
quitur: Quod Dominus iusserit Apostolos oleo curare, intelli-
gimus significatum esse, futurum fuisse aliquando tempus, ut
oleum esset Sacramentum infirmorum.

XVI.

Posteriore autem loco, tanquam scipioni innixi, omnia
hujus Sacramenti systatica exinde se colligere posse autumant;
Quæ quidem qualia ipsi comminiscantur considerandum est.

XVII.

Qui administret, inquit, hoc sacramentum sit presbyter
hoc est, ut ipsi interpretantur, aut episcopus aut sacerdos ritè
ab eo ordinatus.

XVIII.

Materia sit oleum olivæ non à quovis sacerdote, sed ab
ipso Episcopo exorcizatum & benedictum, idq. certo anni
tempore (feria sc. V. Cane Dominica) & certis formulis. Sic
exorcizetur ampulla olei infirmorum: Exorcizo te immundis-
sime Spiritus, omnisq. incurso Satana, & omne phantasma in
nomine Pat. Fil. & Sp. S. ut recedas ab hoc oleo, ut possit effici
unctio spiritualis ad corroborandum templum Dei vivi &c.
Sic benedicetur: Emitte quaesumus Domine Spiritum S. para-
cletum de calis in hanc pinguedinem olivæ &c. Hæc ajunt
non accidentaria esse, sed de essentia materiae sacramenti.

XIX.

Forma est, ut inunctio fiat cum pronuntiatione verborum;
Per istam sanctam unctionem & suam piissimam misericor-
diam indulgeat tibi Deus, quicquid oculorum vitio deliqui-
sti, in nom. Pat. & Fil. &c. Et sic de cæteris sensibus.

XX.

Fines & effecta duplicia constituunt, quorum primum &
primarium, ut conferat gratiam, remittat peccata, præsidiumq.
præstet contra diabolum. Alterum & secundarium, ut sanet
Corpus, sed tantum si id cum anima commodo conjunctum sit.
Et quia pro effectu characterem non habet, potest, ait Bel-
larmi-

larminus, sepius repeti, quoties quis incidit in morbum periculofum.

XXI.

Illis deniq; adhibendam hanc unctiōem volunt, de quibus nulla amplius vite spes est. Caremonia adjuncta sint. 1. Ut ante inunctiōem Litania recitentur, cum precibus alijs. 2. Ut inunctio fiat in septem corporis partes, organa videlicet quinque sensuum, oculos, aures, nares, os & manus, deinde renes, ubi (ajunt) sedes est concupiscentia, tūm pedes, ob vim progressivam & executionem.

XXII.

Haectenus illi. Nos brutum illorum fulmen nihili facientes, dogma hoc ad obrussam verbi Dei, eiusq; intemeratam veritatem, (extra cuius carceres & metas quicquam statuere nefas est) revocare, eāq; Andabatas istos confundere pergamus.

XXIII.

Locus igitur Marc. 6. in quo quibusdam Sacramentum hoc fundatum esse debet, ita habet: Apostoli exeuntes praedicabant, ut pœnitentiam agerent, & demonia multa eyciebant & ungebant oleo multos egros & sanabant. Hanc Apostolicam unctiōem eandem fuisse existimant, quam isti hodiè servant.

XXIV.

Sed enim hac cum illa collata, prodibit, quam hoc vero sit absolum. 1. Docet textus σωαφεια non de Sacramento, sed de miraculo hîc agi, quo doctrina Evangelij, in prima Apostolorum ablegatione, confirmaretur; Quod, ubi hunc suum finem assecutum fuerat, expiravit. Cum verò Pontificij suam unctiōem nō pro miraculo, sed pro Sacramento in Ecclesia, quamdiu hîc militet, duraturo, obtrudunt; colligimus illam ab hac longè aliam esse. 2. Ex finium illa aperta pugna clarum emerget rem esse diversissimam; Ungebant Apostoli (inquit Evangelista) & sanabant: Pontificij ad scopum hunc non collimant, quippe morituros tantam inungendos docentes. Deinde apostolos sua unctiōe spirituales morbos curasse nunquam legitur: Pontificij autem talibus sua unctiōe mederi, apprimè contendunt.

XXV.

Et ne quis in dubium vocet Apostolicam unctiōem ad
corpus

757.
corpus sanandum comparatā fuisse, intueatur eundem Evangelistā,
Marc. 3, 15. ubi dicit ipsis potestatem concessam esse curandi infirmi-
tates. Inspicito Matth. & Luca in hac harmoniam, quorū hicō .cap.
v. 13. ille 10, 1. planē idem referunt.

XXVI.

Hac evidentiā victus pontificius parasitaster Bellarm. nolens
volens fateri cogitur, hic nil de extrema unctione agit. Ut autem à
labiryntho pontificem vindicet, aliud (miser) effugium querit; ty-
pum nimirum hīc esse pontificia unctionis; quod oleo, non re alia cu-
rārint; quemadmodum ablutio caci in Silohe Ioh. 9. typus fuerit
baptismi.

XXVII.

Ergo non purum purum & liquidum ab ipso Christo predicatū
est Evangelium? Ergo adhuc in N. T. typis & umbrarum involucris
proposita de salute nostrā doctrina? Longē aliter Spiritus S. qui Heb.
10. 1. σκιαρ̄ legi, ipsam autem *ὑπόστασις* Novo Test. adscribit. Et, si li-
ceat ita somnare, cur non potius ex impositione manuum, cui pro-
missio adjuncta erat, Luc. 16, 18. quāq; Apostoli non tantum in par-
ticulari illa predicatione, sed etiam in generali sanāunt, sacra-
mentum tale fingunt? Vel ex sudarijs, umbra, & rebus similibus,
quibus Apostolos morbos curasse legimus, quid sibi figurent, eccle-
siāq; obtrudant? At inquit ablutio caci in N. T. baptismi typus e-
rat: Quomodo verò res jam tūm præsens præfigurari poterat?

XXVIII.

Nunc præcipuum illud fulcimentum in quo nutans & inclinata,
pota hæc structura recumbit, aggrediamur: textus Iacobi hic est. In-
firmatur quis in vobis? inducat presbyteros, & orent super eum, un-
gentes eum oleo in nomine Domini, Et oratio fidei salvabit infir-
mum, Et allevabit eum Dominus, Et, si in peccatis fuerit, remitten-
tur ei. Hinc arguūt, primò ex mandato Apostoli, quod fuerit institu-
tio divina, & hīc eam promulgari; secundo ex externo symbolo olei;
Tertiò ex addita promissione, quod unctio illarum sacramentum sit,
sic se fabricam illam absolvisse putant. Verū nos, omiſſā disputa-
tione de autoritate illius epistolæ, huius dicti glossam pontificiam,
ad ipsius textus Iacobi libellam vocemus atq; ex eius visceribus,
fundamentum, quod adamantinum esse clamitant, rei veritate
nil nisi *φαινόμενον*, stramineumq; esse firmissimè convincamus.

B

Glossa

Glossa illa sic habet. Infirmatur quis inter vos: id est, inquit, est aliquis in agone mortis constitutus, accersat Ecclesiae presbyteros: id est episcopos & sacerdotes, Et orēt super eū, ungentes eū oleo in nomine Domini: id est, administrent extrema unctionis sacramentum oleo exorcizato, ungentes eorum corporū septem partes, pronuntiando verba: Per hanc unctionem &c, additis Litanij & invocatione sanctorum &c. Et oratio fidei saluum reddet laborantem, & si in peccatis fuerit remittentur ei: id est mediante hac unctione, salvam faciet Deus animam eius corroborabitq; contra mortem, diabolū & infernū, & remittet ei peccatorum reliquias, & nisi officiat hoc anima, sanabit corpus.

Quis manifestam vim scripturae illatam non animadverteret? Clariora equidem sunt verba, quam ut cothurnis ambiguitatis detorqueri & in peregrinum sensum rapi possint. Probeni Apostolum per id infirmatur &c. intellexisse animam agentes. Probeni primò ex Evangelistis (qui nil salutem nostram concernens praeterierunt) quod sit à Christo instituta & B. Iacobo ad promulgandum commissa, non enim Apostoli est Sacramentum instituere, sed eius qui Sacramentis efficaciam conferre potest, ut recte locuti sunt Scholastici. Probeni Iacobū de oleo exorcizato locutum. Probeni praeterea formam sui sacramenti, cuius hic vel mihi unicum nō auditur. Probeni effecta, quae hic orationi fidei tribuuntur unctioni tribuenda. Probeni deniq; ea quae hic corpus spectant, ad animam referenda. Et licet verba ὁ ἄριστος & ἑγὼ εἶπα possint ad animam metaphoricè (ut Eph. 5. v. 14.) referri, non tamen valet cōsecutio quod unctioni ascribatur salus animae: In solidū n. illa orationi fidei ascribuntur. Est ergo hic non minor atq; Marc. 6. finis oppositio. Sic systatica eius Sacramenti adhuc nulla comparent. Non dico quā sapiat atheisimū exorcizatio illa. Praetereo quod potestica unctionis finis in summum fidei articulū de justificatione impingit; tantum abest ut sit apostolica.

Sententia verò Apostoli est ut presbyteri eo tempore, dono sanationis, recte salutariter & ad aedificationē Ecclesiae uterentur: Ne se. usurpent illud tanquā chirurgicum & medicum quoddam artificium, sed

759.
sed mentem sublevent ad considerationē peccati (quod morbi causa est) & miseria nostra, & ad pœnitentiam & agnitionem spiritualiū beneficiorum Christi. Hic enim miraculorum usus fuit. Erat autem donum sanationis, non penes Apostolos tantum sed etiā penes alios presbyteros & credentes, teste Christo Marc. 16. 17. Sic Paulus 1. Cor. 14. Salutarem usum doni lingvarū & prophetia illis qui eo abutebantur prescribit.

XXXII.

Quamvis autem externa symbola sæpius in sanatione miraculosa adhibita fuerint, non tamen eorum naturali virtute illud præstitum erat. Erat enim miraculum. Sic adhibitum est oleum, non quòd oleum naturā laborantem erigere sufficeret, sed propter hos fines: 1. Ut monerentur homines calitūs sanationem illam conferri. Unctio enim olei in V. T. Cælestia denotabat dona. 2. Ut commonefierent de oleo spiritus S. quo apti redderentur ad suscipienda spiritualia beneficia Christi. Theophylactus super hunc locum dicit, oleum significare misericordiam Dei & gratiam Spiritus S. per quam à labore liberamur, lucem & hilaritatem spiritualem accipimus. 3. propter olei præstantiam in curationibus, & ad vitandam suspicionem magia.

XXXIII.

Cum verò miracula non organa applicationis spiritualiū bonorum fuerint, sed tantum Evangelio viam præpararint, in quo fides spiritualia bona, querit & invenit, cumq; unctiolem olei in eorum numerum referendam constet, huc repetita redeat eadem, qua de loco Marci emerfit conclusio; externum hoc olei symbolum tantum quatenus eius in miraculo, us erat, verbum & promissionem habuisse. Et, quia miracula confirmata in orbe Evangelio desierunt, jam dudum expirasse, nec amplius in quocunq; abusu verbum habere, multò minus rationem sacramenti obtinere.

XXXIV.

Accedit porro ad evertendum hoc dogma tota antiquitas orthodoxa, qua unanimi consensu testatur sibi unctiolem talem planè fuisse inauditam. Describuntur enim multa agrotorum visitationes, imò & Canones quomodo homines moribundi consolandi sint, in quibus de sacramento hoc altissimum est silentium. Recensetur à Dionysio Corinthiaco præsidia contra horæ mortis horrorem hæc: consolatio verbi, fides, oratio, absolutio, communio corporis & sanguinis

vinis Christi, si tunc unctio extrema peculiare pro morituris sacramentum contra insidias diaboli credita fuisset, illam utiq; non modo non praterisset, sed cum primis collocasset.

XXXV.

Insigne etiam perditæ Pontificiorum causæ est argumentū, quod ex putidissimis suppositiorum scriptorum lacunis, quo suam hanc doctrinā animare possint, haurire cogantur, velut ex personato quodam Augustino: hunc licet ad alterinum esse fateatur Bellarm: Bonum tamen & ita antiquū esse, cui fides tutò adhibenda sit, affirmare ipsum non dispudet. Sic ex Hieron: quodā, qui Stridonensis ille (ut sciunt) nō fuit. Chrysostomū etiam de quadam unctioe externa loquentem, quā laborantibus dolores leniantur, in suam sententiā torquent: Sed ibi de nugis illis, quibus Pontificia unctio consuta est verbum non fit unicum.

XXXVI.

His accumulatur Bellarm: Pontificum, Patrū, & Conciliorū innumerū serē numerū, qui omnes ex sanā religione exorbitarunt: Sed similes in venere lactucas. De his sibi gratulator: Nobis autem non quid huiusmodi veteres ante nos docuerint, sed quod ipse Christus, qui ante omnes est, precipit, servare religio est, fidem ita nostram supra ipsum lapidem angularem edificantes. Eph. 2. 20.

XXXVII.

Et probè hic notandum venit, hanc traditionem lento gradu in Ecclesiam irrepsisse, tandemq; miseros homines in regno infelicissimo Antichristi hisce prestigiis circumscriptos. Primò Apostoli oleo egrotos miraculosè curarunt, post illos alij benedictionem addere cæperunt, ad hunc scopum tamen collinantes, ut Corpus sanarent. Tandem ubi planè cessavit donum sanationis, figente simul in Ecclesia pedem Antichristo, additi fuerunt horribiles exorzismi, & pro Sacramento morituris unctio obtrusa, sanciente hoc Felice IV. Hinc postea unctioe apostolicæ ἀνακοινωνία illa in veteravit, atq; adē nunc defenditur, ut falsitatis dica scribatur omnibus, qui ex verbo Dei edocti refragantur.

XXXVIII.

Quia verò pontificiam unctioem, & præter, & contra S. Scripturam & purioris Ecclesie praxin esse manifestò comparet; rejiciendam illam, a gyrtasq; Romanenses sub anathemate, quod Spiritus S. Gal. 1. 8. annuntiat, concludimus.

XXXIX.

Iesus Christus, qui nos in baptismo, cum ipsi nomen dedimus, eodem, quo ipse sine mensura unctus est Spiritu, unxit & obsignavit, de sua illa plenitudine communit nobiscum adhuc, ut adversus omnes inferorum portas confirmemur, fidem nostram per verbum & Sacramenta accendat, adaugat, conservet, ut ceu lampas in cordibus nostris ardens foveatur, usquequo eius compotes, Sanctam Triadem æternū celebremus. Amen.

99 A 6902

ULB Halle

3

002 064 405




DA>OC

Retro

VD17





749.
37



OPT. MAX.

CVNDA
MINIS CON-
INI REVEREN-
II VIRI, DN. D.
HEMNITII
ECIMA NONA.

ditum
præsidiâ, contra dia-
m esse, quæ viventibus
ratur.
rema, ut humanum in-

TRCIP
de

GESNERO,
in Academia Witeb.
artij in Templo Ar-
oralis,
sita à
AVRENTII Gotho.
BERGÆ
is, Anno 1603.

